sicut Job struthionum Job. 30., unde propter multitudinem scorpionum posset aeque bene locus ille dici ascensus scorpionis, sicut ille, de quo habetur Josuae 15. Sed tam duritiam lapidum, quam punctionem scorpionum mitigabat, imo dulcia reddebat ipsa dulcissima Jerusalem, quae in supremo horum montium consistens dulcedinem diffundit, et eos stillare dulcedinem facit et lacte et melle fluere. Sed et memoria eorum, quae in his sanctis montanis facta sacro tradente eloquio legimus, omne venenum propulsabat, et duritiam mitigabat. In his montibus templo profanato sancti Macchabaei demorabantur, inter feras foeni cibo vescentes 2. Macchab. 5. Et filia Iephtae ad votum patris mori parata nihil aliud a genitore suo petiit, nisi quod permitteret eam ante mortem suam duobus mensibus circuire cum sodalibus suis montes Israel, et plangere virginitatem suam. Putavit enim se dolorem mortis lenius ferre, si montes illos sanctos ante mortem suam posset ascendere, Iudicum 11. Moyses etiam ille Deo familiaris pro munere accepit, quad de transjordanis partibus fuit sibi concessum haec montana videre, Num. 34. Sed et beatissimae virginis Mariae peregrinatio haec montana singulariter reddit delectabilia, eaqae sanctificat, de qua peregrinatione dicitur Luc. 1.: abiit in montana cum festinatione. (B) In his montibus Christus Dominus noster in oratione pernoctabat eosque sanctificabat. Hi montes sanctis patribus pro muro fuerunt ab infidelibus, unde Iudith. 7. dicitur: filii Israël non in lancea nec in sagitta confidunt; sed montes defendunt eos, et muniunt illos colles in principio constituti. Ideo idolatrae nolebant cum eis in montibus pugnare dicentes: fugiamus Israël, quia dii montium sunt dii eorum, 3. Regum. 20. Dulce fuit nobis in his montibus commorari. Puto enim, quod de nobis et aliis Christi peregrinis dudum prophetatum fuerit et montibus promissum Ezechiel 6.: montes Israël audite verbum Domini; ecce ego adducam super vos homines, populum meum. Et Esai 65.: educam de Iacob semen et de Iuda possidentem montes sanctos meos. Denique quamvis montes isti sint saxis magnis et rupibus altis coagulati et durissimis lapidibus perfusi, erant tamen nobis molles, quia placuerunt servis tuis, inquit Psalmus, lapides ejus. Ideo fecimus cum Iob. 5. pactum

245
243
249
239
254
234
294
194
344
144

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;